

Coniunctissimi, vehementer placuisse et arrisisse ra-
 tionem illam, qua pridie Kalendas Ianuarias supe-
 rioris anni iussimus aliquem alumnorum disciplinae
 nostrae praedicare Latina Oratiuncula magnitudinem
 beneficiorum nobis vniuersaeque Scholae illo ipso
 anno diuinitus tributorum; quum deus, auctor
 omnium bonorum vnicus atque liberalissimus, pre-
 cibus, quibus nos tum auxilium ab eo in hunc an-
 num implorauimus, ita paruerit, vt etiam pluribus
 maioribusque spe nostra bonis cumulauerit adhuc
 magistros Scholae et discipulos: hoc fauore Vestro,
 sed multo etiam magis singulari illa dei erga nos pie-
 tate ac liberalitate, laceffiti et excitati, partes ora-
 toris et praeconis beneficiorum diuinorum dedimus
 hoc anno Adulescenti praeclarae indolis optimaeque
 spei, BENIAMINI VEISQVIO, Rocolitiensi. Is
 enim cras hora V. vespertina in Auditorio classico
 verba faciet *de singulari incredibilique sapientiae diui-
 nae magnitudine, quam ex eo elucere videmus et intel-
 legimus, quod deus homines voluit ignorare suorum
 quemque fatorum rationem et seriem: et vt deo gra-
 tias maximas ager de beneficiis hoc anno acceptis,
 ita curae eiusdem et prouidentiae diligentissime
 commendabit in annum futurum salutem resque to-
 tius Scholae, vitam et rationes Patronorum eius
 Antistitumque Amplissimorum, magistrorum item et
 discipulorum omnium commoda. Quam orationem
 humanissimi Adulescentis atque preces quin prae-
 sentia Vestra ornaturi, precibus Vestris adiuturi, sitis
 sponte, Collegae Optimi, eo minus dubito, quod
 vehementius Vos laetari scio salute Scholae nostrae,
 salute Patronorum, salute Antistitum, eius; quod
 magis Vos delectari gaudeo cupiditate doctrinae li-
 bera-*